



Le  
Angehöriges

**DOLOREM**  
EX INSPERATO ACERBISSIMOQVE  
OBITU

FILIOLI SVAVISSIMI  
**JOHANNIS GOTTHELF**  
**DÖRINGII,**

IPSIUS PARENTI MOESTISSIMO,  
VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, ATQVE  
CONSULTISSIMO DOMINO,

**DN. JOHANNI PHILIPPO DÖ-**  
**RINGIO,**

J. U. LICENTIATO ATQVE PRACTICO CELEBER-  
RIMO, NEC NON CIVITATIS TORGAVIENSIS  
PRO-SYNDICO MERITISSIMO,

IN FILIOLI BEATE DEFUNCTI EXEQVVIS

*d. VII. April. MDCCIX.*

EXPONERE VOLUIT


**M. GODFRID. STEINBRECHER,**  
ILLUSTR. SCHOL. TORG. RECT.



**TORGÆ;**

Typis JOHANN. ZACHARIE HEMPEL

AK



Quid ergo?

Nonne sat nivis caelo missum  
ac diræ grandinis?

Frigoris vis horrenda nonne sat sæviit?

En! montes sylvæqve cum vallibus personant  
Ululatibus, strepitibus, gemitibus

Fame pressi bruti pecoris,  
En! vias camposqve passim oppletos  
Grege aligero fame enecato.

Ipsæ arbores auritæ maximeqve spissæ,  
Fissæ, scissæ acuto frigoris telo cernuntur.

Quid bruta? quid arbores?  
Ipforum ad Dei naturam accedentium hominum  
Ingentem numerum copiamqve  
Frigore fameq; extinctam passim cernes.  
Ingredere Galliam, Poloniam ingredere.

Et videbis tot seculis vix visa,  
Vix audita audies.

Ipsa etiam fremebundi Neptuni vis exundans  
Tot ædibus, tot familiis intentat ruinam.

Quid intentat?

Tot ædes, tot hominum greges  
Undarum molibus opperti, obrutiqve,  
Sepulti jacent atqve extincti,  
Non sine tristissimo spectaculo.

Quis tandem huic malo finis? quis exitus?  
Num & Torgaviæ nostræ fata hæc imminent?  
Imminere nimis acerba videbantur.

At vero,

Per immensam Numinis divini misericordiam,  
Civium Tecta tecta sartaqve cernuntur:  
Funera præ frigore ac fame non densantur.  
Unica, dolor, unica Domus nobilissima  
Frigore acerbi Fatu concussa fractaqve cernitur.

En!

En! denuo lugere cepit inclyta Domus  
Viri Nobilissimi

**DN. LIC. DÖRINGII.**

En! hujus in amplexu læto hærebat Uxor  
**HENRIETTA SOPHIA**  
Nobili stirpe Schrammiana oriunda,  
Matrona, pietate, humanitate ac modestia  
Nulli plane secunda.

Quæ filiolum enixa svavissimum,  
Tantum non ipsius fiebat sepulcrum:  
Paullo enim post partum expirabat beatissime.  
En! unicum in Filiolo recens nato solatium

Parens mœstissimus ponebat.  
En! solatium gaudiumque duplicabatur  
Per alium recens natum filiolum  
In Nuptiis secundis susceptum  
Ex uxore Nobilissima, ornatissima

**MARGARETHA ELISABETHA**

Nata SCHREYANA.

At, quam fragilis, quam labilis hominum fortuna,  
Accedente hyemis frigore,

Omnis decor arborum florumque cadit, decedit.

Et Thalamus flore lætitarum hodie exultans,

Cras tristiori lacrymarum cupresso scætet.

Festes hujus rei sunt acerbissimæ lacrymæ,

Quas Nobilissima familia DÖRINGIANA fundit,

Filiolo recens nato dulcissimo, svavissimo  
Subito, dolor! orbata, spoliata.

Scilicet,

Vis ventorum celsas amat ferire turres,

Vis frigoris, quo altiores, eo gravius premit montes:

Et sic haud intacta manet inclyta Domus

Viri Nobilissimi

**DN. LIC. DÖRINGII.**

Quid ita?

Pro sapientia Deus sua inperscrutabili

Dulcibus miscet amara, amaris dulcia.

Eo ipso Mortales in officio retenturus:

Ut

Ut neque prosperis nimis fidant rebus,  
Neque adversis animum despondeant.  
En! in moestissimo Parente exemplar  
Animi æqui & ad utrumque parati,  
Haud nescii:  
Deum, cum blanditur, esse patrem,  
Patrem esse Deum,  
Cum ferit.

\* \* \*

EPITAPHIUM.

En! viator,  
Angusto sepulcro quiescentem  
Filiolum lectissimum  
**IOHANNEM GOTTHELF DÖRING:**

Qui cum vix lucem aspiceræ cœpit,  
Luce spem præter privabatur.  
Qui, dum in cunis reponeretur,  
Quietem nocturnam capturus.  
Quietem in cœlis capere cœpit.  
Tu, LECTOR BENEVOLE,  
Oculo non vago respice hunc tumulum:  
Tumulum crede Tibi lectulum esse tuum.

Hoc est:

Mature disce mori:  
Ne, cum moreris, moriaris;  
Sed velut innocens in cunis jacens,  
Cœlesti aliquando requie potiaris,  
Æternum beatissimus, felicissimus.



7819 367

ULB Halle 3  
002 100 495



TA-OL

1017







DOLOREM  
EX INSUPERATO ACERBISSIMOQUE  
OBITU

FILIOLI SVAVISSIMI

JOHANNIS GOTTHELF  
DÖRINGII,

TI MOESTISSIMO,  
XCELLENTISSIMO, ATQUE  
SSIMO DOMINO,

PHILIPPO DÖ-  
RINGIO,

QUE PRACTICO CELEBER,  
VITATIS TORGAVIENSIS  
CO MERITISSIMO,

DEFUNCTI EXEQVIIS  
April. MDCCIX.

NERE VOLUIT

D. STEINBRECHER,  
HOL. TORG. RECT.



TORGÆ;  
N, ZACHARIE HEMPEL

AK

